

84  
39

30

PRO CANCELLARIUS

D. GEORGIUS CAROLVS TREITSCHKE

ORDINIS ICTORVM ASSESSOR ORDINARIUS

IN

VIRVM PRAENOBILISSIMVM ATQVE CONSVLTISSIMVM

G V I L E L M V M G V S T A V V M B V S S E

W R Z E N A N V M

I V R I S V T R I V S Q V E B A C C A L A V R E V M E T N O T A R I V M

P V B L I C V M I M M A T R I C V L A T V M

S V M M O S I N V T R O Q V E I V R E H O N O R E S

DIE IX. M. IANVAR. A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. C.

CONFERENDOS INDICIT.

---

I N E S T :

*De renuntiatione societatis in tempus definitum  
initae observatio.*



**D**issolvi societatem non mutuo solum dissensu ad reliquorum contractuum exemplum, sed ex iure plane singulari<sup>1)</sup> unius quoque ex sociis renuntiatione, invitis etiam reliquis<sup>2)</sup>, regula est Iure civili constanter et indubitate recepta. Quam tamen in societate ad tempus definitum inita cum temperamento aliquo admittendam esse, similiter inter omnes non potuit non convenire, praeunte clara et diserta legis sanctione. Ait nimirum VLPIANVS in L. 14. D. pro Socio: (17. 2.) *Quid si hoc convenit, ne abeat?* (intra certum sc. tempus, uti docent quae praecedunt et sequuntur) *an valeat?* *eleganter Pomponius scripsit, frustra hoc convenire. Nam etsi non convenit, si tamen intempestive renuntietur societati, esse pro Socio actionem; sed etsi convenit, ne intra certum tempus abeat, posse rationem habere renuntiationem.* Et nervose PAVLVVS in L. 65. §. 6. D. eod.: *Item qui societatem in tempus coit, eam ante tempus renuntians socium a se, non se a socio liberat.* Istud autem temperamentum his auctoribus quomodo sit accipiendum, et de vi renuntiationis in eiusmodi causa factae quid statuendum, de hac quidem quaestione doctorum opiniones brevius fere quam clarius, ita tamen invenias enuntiatas, ut in diversa videantur abire. Sunt enim, qui dicant, non esse, nisi iusta ex causa, concedendam socio, qui in certum

---

1) L. 58. D. de pactis (2. 14.) L. 35. D. de R. I. (50. 17.) L. 5. C. de O. et A. (4. 10.) L. 3. C. de nesc. vend. (4. 44.)

2) §. 4. Inst. de societ. (3. 26.) „Manet autem societas eo usque donec in eodem consensu perseveraverint. At cum aliquis renuntiaverit societati, solvitur societas.“

tempus socio se obligarit, recedendi potestatem<sup>3)</sup>. Alii contra et in hac causa liberrimum sociis vindicare videntur arbitrium abeundi, et solum putare contractum, ex quo de renuntiatione unius certiores facti sint reliqui, sola manente, si ex causa iniusta sit recessum, lucri damnique communione, quoad renuntianti evadat damnosa<sup>4)</sup>. Quas sententias, hac scribendi opportunitate oblata, examinare et si fieri posset conciliare constitui.

Id ut bene procedat, indagandus videtur ante omnia verus sensus verborum fragmenti Pauliani supra allegati, quae ita se habent: „socium a se, non se a socio liberat;“ utpote ex quibus utraque opinio et defenditur et aestimanda est. Quibus verbis, uti ex his quae modo dicta sunt apparet, ii, qui omnino liberam discedendi facultatem tuentur, nihil aliud existimant subesse, nisi haec: fieri renuntiantem, ex quo renuntiaverit, lucri omnis quod e negotio una proposito sociis accesserit, expertem, damni vero, si quod iis contingat, manere participem, contra si ipse (et quidem in societate, quae non omnium bonorum est, idem negotium solus suscipiendo) compendii aliquid sit assecutus, id communicandum cum sociis, detrimentum sibi contingens soli ferendum esse<sup>5)</sup>. In ceteris nullum remanere societatis effectum. Certe ipse PAVLVS in iis quae sequuntur, addit: *Itaque, si quid compendii postea factum erit, eius partem non feret; at si dispendium, aequè praestabit portionem.* Et

3) LEYSER med. ad Pand. sp. 186. med. 1.; BERGER oecon. for. p. 522; ed. Winkl.; MACKELDEY *Lehrb. des heut. röm. Rechts*, §. 599. p. 422. ed. V.; MVEHLENBRUCH doctrina Pandect. §. 421. T. II. p. 388. ed. III.; SCHWEPPE u. MEIER, *Röm. Privatrecht*, §. 478. Th. III. S. 256.; v. WENING-INGENHEIM *Lehrb. des gem. Civilrechts*, §. 272. Tom. II. p. 227. ed. IV.; et in libro meo: *die Lehre von der Erwerbsgesellschaft*. Lpz. 1825. §. 67. p. 97.

4) WESEMBEC, ad. Tit. pro socio §. 11. STRYK U. M. Pand. ad tit. pro Socio §. XXXVII. Tit. II. p. 265. ed. V. THIBAVT *Pandectenrecht* §. 884. ROMAN *über den einseitigen Rücktritt von einem abgeschlossenen Gesellschaftsvertrage, und dessen rechtl. Wirkungen.* Heilbronn u. Rothenb. a. d. T. 1825. §. 9. 25. 36.

5) ROMAN I. c. §. 36. p. 83.

cum aliae quoque sint, praeter temporis adiectionem, causae, in quibus restricta habeatur abeundi a societate potestas, puta ubi dolo fiat, vel ubi absentis socio; in quibus perinde renunciantis, non eius cui renunciatum sit, liberationem effici iuris auctores aiunt: aequae adduntur in iis similia de lucro damnoque verba; ut de dolosa renuntiatione habet §. 4. Inst. de societate (3. 26.): *Sed plane si quis callide in hoc renunciaverit societati, ut obveniens aliquod lucrum solus habeat: — cogitur hoc lucrum communicare. Si vero aliquid lucri facit, quod non captaverit, ad ipsum solum pertinet. Ei vero cui renunciatum est, quidquid omnino per renunciatam societatem acquiritur, soli conceditur.* Et L. 65. §. 3. pro socio (17. 2.): *Cassius scripsit, eum qui renunciaverit societati, a se quidem liberare socios suos, se autem ab illis non liberare: quod utique observandum est, si dolo malo renuntiatio facta sit, veluti si, cum omnium bonorum societatem inissemus, deinde cum obvenisset uni hereditas, propter hoc renunciavit, ideoque si quidem damnum attulerit hereditas, hoc ad eum, qui renunciavit, pertinebit, commodum autem communicare cogetur actione pro socio.* Et similiter de renuntiatione absentis facta L. 17. §. 1. eod. *Si absentis renunciata societas sit, quoad is scierit, quod is acquisivit, qui renunciavit, in commune redigi, detrimentum autem solius eius esse, qui renunciaverit; sed, quod absens acquisivit, ad solum eum pertinere, detrimentum ab eo factum commune esse.* Verum haec non ut tota conficeretur res, atque omnis claudicantis istius renuntiationis vis ut ostenderetur, mihi videntur addita; imo exempli ergo, et ne silentio praeterirentur, quae minus apparerent expedita et ad dubitationem excitandam magis apta. Quod ut probem, moveor imprimis lata et ampla *non liberandi* notione. Nam liberatione cum tollatur obligatio<sup>6)</sup>, quicumque non liberari simpliciter dicitur, intelligendus profecto est perseverare in obligatione, ideoque ad omnia omnino, quae contractu in se suscipit praestanda,

6) L. 46. de V. S. (50. 16.)

manere obstrictus. Atqui multa, praeter lucri damnique communionem societatis contractui vel natura sua insunt, vel possunt et solent adiacere, puta operae societati praestandae, peregrinationes eius causa obeundae, rerum suarum communicatio, communium cura et custodia, tabularum rationumque confectio, praesertim vero sortis, qua gerantur negotia, in communem arcam numeratio. Quae quidem omnia, antequam possit de emolumento detrimentoque capi cogitari, suscipienda fere sunt sociis et diligenter exequenda. Horum igitur si quid promisit, qui liberatus non est, poterit renuntiatione facta recusare? — Ait ROMAN<sup>7</sup>): „*Sofern nun diese Worte<sup>8</sup>) nicht dahin missverstanden werden, dass der Aufkündigende „zu fernerer, wohl gar persönlicher, Mitwirkung für die Gesellschaft „gezwungen werden könne, welche Annahme den Grundprincipien „des römischen Rechts völlig widersprechen würde, sofern man also „diesen Satz nur in Absicht auf die Resultate des Gesellschaftsvertrags, nicht in Absicht auf die Kräfte, wodurch diese Resultate „hervorgerufen werden, nimmt, sofern findet diese Auslegung in „den Gesetzen ihre vollkommene Bestätigung.*“ Quod dicit, principiis iuris Romani ista repugnare, id ut nobis probet, ablegat nos ad §um libelli sui 2dam. Ibi vero provocat ad locos tit. D. pro Socio permultos, quibus partim confirmatur, partim non confirmatur regula quae confirmatione non eget: nemini invito socium esse obtrudendum. Inde vero alia omnia potius colligi licet, quam eum, quem ipse elegeris socium posse, ex quo invitus continuaturus sis cum eo societatem, temere deserere. Ait porro, ad faciendum neminem cogi posse; quod eatenus est verum, quatenus ius Romanorum, re in iudicium deducta, debitorem non ut faciat, quibus se obstrin-

---

7) §. 36. p. 83. Hunc ego inter adversarios prae aliis ante oculos habendum existimavi, tum quod ex proposito idemque elegantissime et doctissime omnium de renuntiatione societatis disseruit, tum quod clarius et uberius, quae apud reliquos vix plus quam obiter tacta invenias, de hoc ipso nostro argumento exposuit.

8) Illa scilicet: „liberat socios a se, sed se non ab illis.“



xit, vult condemnari, sed ut solvat, si promissis stare nolit, summam pecuniae, sive certam, si scilicet poena sit in conventionem deducta, sive incertam, si talia non convenerint, arbitro, quantum creditoris intersit, aestimante<sup>9)</sup>. Et adhuc, quamquam verbis ad faciendum condemnatio fit, tamen obtorto collo, ut aliquid faciat, nemo rapitur, sed nisi id factum sit, dum fieri expediret, lis aestimatur. Hoc igitur ipso ab initio societatis et dum volens quis in ea remanet, officio tamen forte suo deest eoque nomine pro socio convenitur<sup>10)</sup>, obtinere dicendum est. Quidni vero et renuntiatione secuta idem observetur? At ita nihil ea immutatum. — Denique parum sibi constat, qui exitum rei gerendae communem esse vult, ea vero, sine quibus res ad exitum perducere nequeat, ei qui gerere promisit, remittenda arbitratur. Nimirum fieri quidem potest, et subinde accidit, ut ii, quibus renuntietur, facile supersedeant renunciantis opera et adiumento. Multo saepius vero eveniet, ut eius auxilio carere non possint. Quid enim si rationum tabulas componere vel opificium aliquod in commodum societatis exercere suscepit, solus eius operis gnarus, imperitis reliquis? Aut si peregre proficisci pollicitus est mercium coëmendarum vendendarumve gratia, cum domi aliis negotiis retinerentur ceteri? Fac denique impositum ipsi lege societatis, ut pecuniam fundat totam, aut certe partem eius haud exiguam, sine qua ne ordiri quidem possint destinatum negotium, aut loci copiam promississe eum in fundo suo, in quo opificium commune exercetur, cum deficiat alias aequè commodus. Nonne aperte ludere videbitur iste ita loquutus: „Abeo quidem ego societate; vos, quod sine me facere vix valetis, ut poteritis, facite; si quid inde damni, pro portione feram?“ —

Stat igitur sententia, in societate in certum tempus inita cegi posse a socio socium, ut fidem servet et promissis stet. Quae si in dando consistunt, dare debet vel ad utendum praestare, quod pro-

9) L. 13. §. 1. D. de re iud. (42. 1.)

10) L. 65. §. 15. D. pro soc. (17. 2.)

misit, sin faciendo continentur, quod ipse facere nolit, conducere aliquem debet, qui vice sua agat, aut conducto a sociis mercedem praebere. Quid vero si ingenii dotes eximias, vel artem sibi propriam, aliis ignotam, in commodum societatis exercere promisit? Subsisto; nam haec neque per vicarium peragi possunt, nec lucri, quod allatura fuerint, aestimationem quodammodo certam admittunt. Erit igitur haec una causa accipienda, ita tamen, ut ab illis, quae de lucro communicando habent leges supra transscriptae, non recedamus, imo si intra tempus societati definitum renuntians solus exerceat eam artem, lucri quod inde perceperit, partem ferre debeant socii.

Quae vero per renunciationem socii sociis contingere dicitur liberatio, ita non erit accipienda, ut qui socium ad servandam contractus fidem adigant, ipsi habeantur ab iis, quae ex eodem contractu sibi incumbunt, immunes. Imo nisi impleta a se societatis lege, aut, ad implendum, quod superest, paratus socius a socio, ut satisfaciat obligationi, exigere potest. Similiter nec exulabunt in hac causa, quae de lucro damnoque inter socios compensandis generatim habent leges<sup>11)</sup>, ut, pluribus negotiis susceptis, si in aliis compendium fecerint socii, damno in aliis emergente non recte onerari sint renuntiantem, nisi factum et eius quod illis acquisiverint, participem<sup>12)</sup>. Etenim in duriolem, quam quae conventionis legi insit, obligationem illum renuntiandi voluntate incidisse vix quisquam existimet.

Quae si ita sunt, dici, ut mihi videtur, minime poterit, renuntians dissolvi eam de qua agitur societatem, imo manifestum est, stare utrimque contractam obligationem per tempus conventionis lege definitum. Quaerat aliquis: Quid vero tum attinet dicere, liberari socios socii renuntiatione? Scilicet eo haec pertinent, quod, ex quo renuntiatum sociis est, ipsis quidem in renuntiantem,

11) §. 2. in f. Inst. de societ. (3. 26.) L. 30. in f. D. pro soc. (17. 2.)

12) ROMAN I. c. pag. 86. sq.



nequaquam vero huic in ipsos ad continuandam societatem actio datur; ut contractibus, qui a pupillo sine tutoris auctoritate initi vulgo dicuntur claudicare, haec obligationis ratio haud videatur absimilis. Liberum quoque est sociis, factam renunciationem quovis tempore, dum non sit retractata, acceptare, et sic demum societatem penitus solvere. At dum continuant cum invito contractum, frustra provocabunt ad eam, quam ipsi improbarunt, renuntiationem. Qua forte retractata, in pristinam omnia redibunt conditionem, ut reliquis non magis quam ei qui renuntiavit discedendi facultas relinquatur. Haec vero omnia societatis vinculo non sunt propria, sed in alio quocunque contractu consensuali perinde valent, si recesseris a mandato, quod, pro natura sua, circa revocationem et renuntiationem proprio iure regi constat, eodem fere scilicet, quod in societate obtinet tempore non definita. Item quae iustae censentur causae desistendi a societate in tempus certum inita, iisdem fere nituntur argumentis, ex quibus in aliis quoque contractibus consensualibus, iisque continuationem temporis continentibus, resiliendi facultas subinde conceditur. Nam quod dicitur rationem habere renuntiationis, si conditio quaedam, qua societas fuerit inita, non praestetur, aut si ita iniuriosus et damnosus sit socius, ut non expediat eum pati<sup>13</sup>), aut si ea re uti non liceat, cuius gratia negotiatio suscepta sit<sup>14</sup>), aut si reipublicae causa diu et invitatus abfuturus sit, qui renuntiat<sup>15</sup>), aut si fuere coeperit unus e sociis<sup>16</sup>), haec sane omnia eodem redeunt, scilicet ut nemo cogi debeat ad continuandum eum contractum qui absque culpa eius effectum consensu destinatum amplius sortiri nequeat ex supervenientibus causis. Atqui eadem ex ratione et locatio conductio<sup>17</sup>)

13) L. 14 D. pro soc.

14) L. 15. eod.

15) L. 16. pr. eod.

16) L. 7. C. pro. soc. (4. 37.)

17) L. 30. pr. L. 35 pr. L. 54. §. 1. L. 56. D. loc. cond. (19. 2.) L. 3. C. loc. cond. (4. 65.)

renuntiationem admittit, et emphyteutam eicere licet<sup>18)</sup>. Haud longe itaque a vero aberraverit, qui dicat cessare in societate ad certum tempus inita propriam alioquin societati recedendi potestatem et plane iure communi eiusmodi contractum regi.

Quodsi itaque licet cum invito socio societatem per tempus de quo convenit, continuare, quaeritur porro, haec via num sola pateat ei, cui renunciatum est, an possit is, accepta dissolutione proposita, postulare ut indemnitas sibi praestetur. Plane cum variae, uti monuimus, inesse possint contractui societatis obligationes, ratione unius eiusdemque obligationis utrumque simul poscens non erit audiendus, cum aperte sibi repugnet, qui intendat et satisfieri contractus obligationi ut manentis, et quasi soluto illatum reparari damnum. Quid? quod plerisque in causis utraque actio, etiamsi ad singulas obligationes singulae dirigantur intentiones, minime poterit simul tenere ob rei ipsius naturam, scilicet obligationis implementum cum nonnisi durante tempore societati destinato exigi, at quantum et quale damnum, imò an aliquid damni omnino patiantur ii, quibus renunciatum est, utplurimum elapso demum eo tempore perspicere et aestimari queat.

Quaeritur vero, si liqueat quid intersit sociorum, contractum non stetisse, an possint id solum petere? et primum quidem evenit liquere illud, finito contractus tempore, postquam certo constat et de damno renuntiatione sociis illato, et de lucro quod forte solus in similibus negotiando paravit renuntians. Et hac quidem in specie nemini existimo dubium esse dandam socio ad id quod interest actionem, si perlata ad se renuntiatione protestando reservaverit sibi iura contractus salva. At neque hac sive reservatione sive protestatione opus esse mihi videtur, si quidem recte supra posuimus, societatem in tempus destinatum initam privilegio renuntiationis alioquin sociis inter se concessio carere. Nam quod iure non tenet, id tacendo approbasse nemo censendus est, et contractus bilaterales

18) Nov. 120. cap. 8.

nonnisi utrimque significata voluntate, minime vero alterutrius partis silentio dissolvi plurimum habet rationis<sup>19)</sup>.

Deinde currente adhuc contractus tempore constare de eo quod intersit, potest ob praestationis, quae obligationi inest, simplicitatem certamque aestimationem, ut puta si sortem numerare promisit renuncians, aut fundum praebere rei rusticae, aut aedificia machinasve opificio exercendo, ubi manifestum est tanti sociorum interesse, quanto maioribus usuris mutuari eandem pecuniae summam, vel quanto pluris conducere aliud praedium aedificiumve oportuit. Quid igitur dicemus? poteritne hoc peti? Et doctorum quidem plerique admodum breviter et parum clare hanc materiam tractant; qui propius ad eam accesserunt, eo magis est, ut intelligamus de electione libera inter hanc intentionem et petendum implementum concedenda<sup>20)</sup>; quam sententiam, implemento scilicet ad lucri damnique communionem actori proficuum restricto, aperte amplectitur et defendit ROMAN<sup>21)</sup>. Mihi vero, qui hac in causa nullam plane vim renuntiationi tribuam, eaque vinculum contractus ipsum minui negem, non videtur audiendus, qui pendente contractu, et dum impleri is adhuc possit, postulet id quod intersit non esse impletum. Quare distinguendum puto, ut solum quod attinet tempus praeterlapsum, id quod interest prius facta non esse, quae prius fieri debuerunt, petere liceat, ea autem quae in futurum tempus praestare socius recuset, ut praestentur, non ut pecunia reluantur, oporteat agi.

Denique nonnunquam evenit, ut singulari negotio, quod partem forte constituere debebat totius negotiationis una suscipiendae, vel ab iis quibus renuntiatum est, solis perfecto, vel renuntiantis pervicacia frustrato, damnum, quod circa hoc negotium illis accidit,

19) PVFENDORF T. II. Obs. 86. §. 2. GEIGER et GLVECK, *merkwürdige Rechtsfälle* T. II. N. §. XXVII. pag. 159. sq. GLVECK, *Erläut. der Pand.* T. IV. p. 93. lit. c.

20) CONNANI comm. iur. civ. Lib. VIII. cap. 13. H. DONELLI comm. iur. civ. lib. XVI. cap. 24. VOET comm. ad Pand. ad tit. pro Socio §. 25.

21) l. c. §. 42. p. 92.

certam aestimationem recipiat. Qua in causa dubium movere potest, quod in societate absque temporis definitione et ad singulare aliquod negotium inīta is qui re non integra, et postquam sine detrimento sociorum fieri non amplius potest, renuntiat, obligatur ad damnum reparandum<sup>22)</sup>. At vero haec ad societatem tempore definitam, quamvis a magnis auctoribus applicentur<sup>23)</sup>, vereor ut queant recte applicari; cum in ista singulorum negotiorum damna non sint singulatim excutienda, sed computanda et compensanda cum lucris, si qua quaecumque ex aliis rebus redundarunt<sup>24)</sup>. Quodsi ergo ipsa iubeat contractus lex, dividi lucrum damnumve pendente contractus tempore singulis annis, mensibusve, eo temporis spatio elapso peti poterit damni portio, alioquin finito demum contractus tempore id licebit. Quod in lucro ex iis, quae forte solus suscepit renuncians, negotiis parato aequae est observandum.

Causas a legibus exceptas, quibus dicitur rationem habere renuntiatio, quod attinet, discrimen inter eas a Ictis admitti nusquam reperi, ut videantur aequalem unicuique earum tribuere vim, liberationem scilicet renuntiantis plenam. Quae sententia uti iustissima videtur in iis causis, quae casu fortuito obveniunt, et multo magis, si quae culpa eorum, quibus renuntiat, sunt obortae, haud aequae placet in illis, quae ex persona renuntiantis contingunt. Quorum duae quidem solae allegantur in iuris nostri fontibus, furor scilicet et absentia reipublicae causa suscipienda<sup>25)</sup>, alias vero eadem ratione aestimandas, non recte reiiciamus, dummodo sine culpa renuntiantis post contractam societatem supervenerint, et verum obiciant continuandae ei impedimentum<sup>26)</sup>: cuius generis sunt morbus captivitasve diu durantes. His vero eventibus liberari quidem

22) L. 65. §. 5. D. pro socio.

23) BOEHMER introd. in ius Dig. ad tit. pro Socio §. 16. GLUECK *Erläut. der Pand.* T. XV. p. 470.

24) Vide supr. nota 11.

25) Vide supra nota 15. 16. 26) ROMAN I. c. p. 61. sq.

arbitror socium a continuanda societate, ita tamen ut elapso tempore definito si damnum aliquod sociis, quibus renuntiavit, emeruisse appareat, partem eius non possit detractare. Quid enim ad illos socii publicum officium, vel morbus, vel captivitas? Certum denique est, quae cuique obveniant adversa, eorum sequiores quoque et mediatos effectus soli esse ferendos.

---

Iam vero, quod quidem scribendi obtulit opportunitatem, indicenda sunt solemnia inauguralia

V I R I

PRAENOBILISSIMI ATQVE CONSVLTISSIMI

G V I L E L M I G V S T A V I B U S S E

W U R Z E N A N I

IVR. VTRIVSQ. BACC. ET NOT. PVBL. IMMATR.

Qui de vita sua studiisque ita ipse narrat:

*Natus sum Wurzenae anno hui. saec. VII. patre GVILELMO GOTTLOR, tum temporis in praefectura regia actuario, matre IOANNA AVGVSTA e gente SERNO, quibus parentibus carissimis superstilibus laetor, et quos Deum O. M. rogo diutissime adhuc conservet. Prima institutione in schola civica usus sum, iam literarum studiis destinato mihi contigit esse tam felici, ut a. S. R. Dr. FIEDLER, tunc apud Wurzenenses, nunc apud Plavienses Superintendente, lectionibus privatis admitterer, cui quidem viro tantum debeo, ut profecto doceam, quod non per longius tempus benignitate eius uti liceret. Pater enim cum praefecti munere Pegaviam transferebatur, ubi me tradidit l. STÖY, archidiacono, cuius memoriam pie servabo, quique me totum habuit, donec sub finem a. XXI. in illustre Moldanum reciperer. Ibi autem, quod in summis vitae meae bonis reputo, per quatuor annos et quod excurrit commoratus, optimis praeceptoribus usus sum VV. excellentissimis et doctissimis WEICHERTO, KAEVFFERO, iam Dresdae concionatore aulico, WYNDERO, IAHNIO et HOFFMANNO, nunc illo in Thomana, hoc in Gymnasio Budissensi correctoribus, KORBIO, sed per breve tempus, et WITZELIO, porro, qui iam vitam aeterni-*



*tate commutaverunt, STVRZIO, GRAESSIO, HARTMANNO, TOEPFFERO et LEONHARDI. Scholae autem cum mense Martio XXVI. publice valedixissem, Lipsiam me contuli et a b. Tittmanno in album civium academicorum relatus sum. Scholas historicas et philosophicas VV. Illustrium KRUGI, POELITZI, HEINROTHI, WACHSMUTHI et b. RICHTERI frequentavi, in legali scientia VV. Summe Reverendos et Perillustres FR. AD. SCHILLING de institutionibus iurisque historia, de Pandectis, iure saxonico et naturali, b. WEISSIVM de historia et iure Germaniae, de criminali iure et saxonico publico, b. WENKIVM de iure saxonico, KLIENIVM de ordine iudiciorum, BR. SCHILLING de iure feudali et canonico disserentes audivi, denique artem referendi tradidit Perill. BECK, qui etiam exacto curriculo, meis et aliorum exercitationibus oretenus referendi vacavit. Praeterea societati iuridicae, quam Perill. OTTO, iam imperatoris Russici a consiliis et Professor Dorpatiensis, moderabatur et per annum scholis examinatoris b. MVELLERI interfui.*

*Horum omnium virorum maxima in me sunt merita, quorum, uti semper memor ero, ita a me impetrare non possum, quin S. R. et Perill. FR. AD. SCHILLING publice gratias ex intimo pectore referam. Hic enim vir, quid mihi fuerit non tantum institutione, quam ego non laudabo, verum etiam benevolentia, et, si dicere audeo, exemplo, profecto numquam oblitus sum, neque obliturus. Sed reprimo, quae plurima dicenda haberem, ne ipse laudis captare videar, talem virum mihi ducem et fautorem contigisse, si multis praedicem.*

*Triennio autem et quod excurrit peracto, thesibus etiam praeside b. MVELLERO publice defensis, examen, quod vocant, pro candidatura et praxi d. XXI. m. Aug. XXIX. superavi, paulo post ab amplissimo huius urbis Senatu Notarii dignitatem impetravi. — Iam cum, Lipsiae commoraturus, quaerem, quo duce usum et causas forenses cognoscerem, tandem me fere ignotum suis negotiis admisit D. CAR. AD. RVELING, potent. regis Sax. a consil. aul. pp., qui qualis et quantus sit in omni re forensi, testantur munera gravissima, quibus fungitur. At mihi quoque maxime benevolus fautor exstitit, non tantum, ut mihi in omnibus, quae foro obvenire solent largissimam exercendi copiam praerberet, sed etiam, quod in summis habeo, licet negotiis plurimis fere oppressus, ut consulenti semper pateret et saepissime privata conversatione pro summa doctrina, qua pollet, et experientia de re praesenti disputaret et exponeret. Ita his rebus per quatuor integros annos totus interfui, iam vero, cum sub finem praeteriti anni scribendo libello et scholis examinatoriis, quibus fere a biennio operam dare coepi, nimis gravarer et rogarem, ut ne amplius praesentem negotiis esse iuberet, me dimisit, ita tamen, ut scripta domi elabo-*



*randa concederet. — Huic itaque cum SCHILLINGO omnia debeo eosque semper religiose venerabor, et quamquam dignas referre gratias non possim, tamen nunquam committam, quo ipsorum favore plane indignus videar. Nec etiam praeterire possum VV. Illustris et Iuriumconsultissimos KVNAD, pot. regis Sax. a consil. aul. et praefectum atque OTTO, iudicii criminalis, quod Lipsiae est, praesidem, quos, patri amicos, mihi quoque patronos et fautores contigisse laetor, cum SCHRECKENBERGERO, Ill. Scab. assessore, cui etiam pro egregia benevolentia, quam nuper expertus sum, me obstrictissimum sentio.*

*Superato interim m. Iunio a. XXXII. rigoroso examine, Illustrem Facultatem iuridicam, ut summos in iure honores in me conferre velit, observantissimis precibus adii.*

His precibus nos deesse cum laudes, quas Vir Consultissimus speciminibus hucusque a se editis sibi paravit, minime paterentur, in eo nunc est ille, ut ad summos in utroque iure honores ab Ordine nostro ipsi decretos promoveatur. Quem in finem die, quae instat, VIII. Ianuarii, hora II.

L. 19 Cod. de iure deliberandi etc.

lectione publica explicabit, die vero sequente dissertationem inauguralem, quam

*De ratihabitione*

conscripsit, sine praeside defendet, quibus rite peractis

VIR ILLUSTRIS ET CONSULTISSIMVS

**D. ERNESTVS FRIDERICVS GVENTHER**

ORDINIS ICTORVM ASSESSOR ORDINARIVS,

collega coniunctissimus, quem ego, Procancellarii munere fungens, Promotorem rite constitui, Candidatum meritissimum iuris utriusque, tam canonici, quam civilis, Doctorem palam creabit et proclamabit.

Quam solemnitatem ut **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, CELSISSIMI PRINCIPES, COMITES ILLUSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES GRAVISSIMI, COMMITONES HUMANISSIMI**, praesentia sua condecorare splendidiorumque reddere velint, summa, qua par est, reverentia atque observantia rogatos et invitatos volo.

**P. P. in Vniversitate Literarum Lipsiensi Dominica post Circumcis. MDCCCXXXIV.**

